
DISSE

RAT

TIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

FEBRE INTERMITTENTE.

4

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER BARON, JUN.

CAROLINIENSIS AUSTRALIS,

SOCIETAT. REGIÆ PHYSIC. SOC. HON.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

APUD ROBERTUM ALLAN.

1799.

J A C O B O B U R N,

AR M I G E R O,

A V U N C U L O S U O,

O B M U L T A B E N E F I C I A,

M U L T O S A N N O S,


I N S E C O L L A T A,

H A S C E I N M E D I C I N A

S T U D I O R U M P R I M I T I A S,

S A C R A S E S S E V U L T

A U C T O R.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31966743>

Cold tremors come, with mighty love of rest,
Convulsive yawnings, lassitude, and pains,
That sting the burden'd brows, fatigue the loins,
And rack the joints, and ev'ry torpid limb.
Then parching heat succeeds, till copious sweats
O'erflow, a short relief from former ills ;
Beneath repeated shocks the wretches pine ;
The vigour sinks, the habit melts away,
The cheerful, pure, and animated bloom
Dies from the face, with squalid atrophy
Devour'd, in fallow melancholy clad.

ART OF HEALTH, page 16.

E R R A T A.

Pag. 2. lin. 2. *pro Europe lege Europæ*

- 7. — 11. *pro prædisponentis, lege prædisponentes,*
 - 8. — 12. *pro prorus lege prorsus*
 - 17. — 5. *pro confugit lege confugiet*
 - 17. — 9. *pro insigne lege insignem.*
-

D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

F E B R E I N T E R M I T T E N T E.

A U C T O R E A. B A R O N, J U N.

C O M P L U R I U M malorum, quibus calidarum regionum incolæ opportuni sunt, nullum febre intermittente frequentius, aut molestius, existere, quodve aliis periculosisissimis affectionibus, fundamenta sæpius ponit, inter medicos jam convenit. Febres, quidem ubique fere terrarum, generis humani plures quam quivis alias morbus, rapere perhibentur: febrem igitur intermittentem, non solum ob magnam ejus in regionibus calidis fre-

A quentiam,

quentiam, sed etiam ob stragem, quam in mitiori Europe cœlo, mortalibus dat, harum pagellarum argumentum feligere; haud abs re fore, ratus sum.

Hæc affectio, sic a CULLENO definitur, “ Fe-
“ bres miasmate paludum ortæ, paroxysmis pluri-
“ bus, apyrexia, faltem remissione evidente in-
“ terposita, cum exacerbatione notabili, et ple-
“ rumque cum horrore redeuntibus constantes,
“ paroxysmo quovis die unico tantum.”

Intermittentium igitur nomine, non solum febris, de qua hîc agitur, sed etiam remittens significatur; quamvis aliter multis, hanc febri continuæ annumerantibus vîsum est.

HISTORIA.

FEBRIS intermittentis phænomena satis plerumque accuratè a variis auctoribus describuntur : CULLENUS autem illustris, hic palmam omnibus præripuit. Æger sub mali accessum, insignem languorem, debilitatis sensum, magnum, motus, corporisque nitus cuiusvis, fastidium, cum magna simul oscitatione et pandiculatione, conqueritur. Facies, corporisque extrema pallescunt, linea menta, partiumque corporis externarum moles minuntur ; cutis duriuscula et scabra fit ; hinc nomen cutis Anferrina.

Signa jam memorata, stadium paroxysmi frigidum plerumque antecedunt : ægerque simul algorem leviusculum sentit ; oculi hebecunt et torpent ; ungues livent ; algor antea levis, ad horrorem jam, ei, qui frigidâ, corpori affusâ, exori-

tùr, consimilem, usque augetur. SWIETENIUS hujusmodi exemplum narrat, quo tantus erat tremor, ut dentes antea firmi, a cavernis laxarentur. Æger horrori, ad ignem accedendo, occurrere jam conatur ; paulo post stadium frigidum, mitescit ; facieique rubore, qui, sibi non constat, excipitur, calor toto corpore jam fusus, præter naturam intenditur ; cutis colorem nativum amissum recuperat, et etiam rubescit ; lineamenta simul turgida; et quasi inflammata fiunt. Instante caloris stadio, dolor acutus inter tempora vibratus sentitur. Eques PRINGLE, exempla, quibus dolor, usque eo derepente sœviit, ut delirium, quod hallucinatus, pro insania habuit gravius, supervenerit sibi ocurriffe, narrat. Postquam corporis rubor, calor, et tumor, aliquandiu perstiterint, sudor lenis, qui paulatim toto corpore diffunditur, è fronte prorumpit : cuncta simul morbi indicia insigniter remittunt, et finito paroxysmo penitus evanescunt.

Cæteræ corporis functiones diversas, per diversa paroxysmi stadia mutationes subeunt. Spiritus, urgente algore difficile trahitur, et tussi molesta sœpe interruptur; accedente autem calore haud parum levatur; finito impetu, facilis et naturalis evasurus. Cerebri munera frigore premente, haud parum minuuntur. Æger cogitationi inhabilis, nil sere in mentem revocare potest, et delirium seu stupor ad coma, vel apoplexiam usque, ingravescientia, superveniunt.

Secretiones minuuntur; oris saliva, et muco, admodum deficientibus. Urina admodum varia est; in stadio frigido parca; pallida atque limpida redditur, in calido vero præter naturam rubra fit; paroxysmi finem versus, et aliquandiu etiam post decessum fœcēm lateritiam copiose deponit.

Alvus raro in primo aut secundo stadio dejicitur, nisi in quibusdam rarioribus exempli, ubi diarrhoea ab initio adest; et ubi dejectiones paroxysmi

roxyfmi finem versus eveniunt, liquidæ plerumque esse solent.

Tumores per primam paroxyfmi partem detumescentes penitus fere evanescunt, et ulcera ; ambo autem ad solitum statum finem versus redeunt. Capitis dolor, et arteriarum pulsus, æstuante corpore, unicè excruciant ; simul verò, ac sudor prorumpit, vel aliquandiu perstiterit insigniter remittunt.

MORBI TYPUS.

PRIUSQUAM de febris intermittentis causis agemus, paucis de ejusdem typo, quippe cuius species ferè infinitas, nec ex eadem causa natas nonnulli opinantur, differatur oportet.

Quamvis febris typo haud parum variatur, cum plures tamen eodem loco corripiuntur, invaletudinem

nem ex eadem causa provenire, verisimile videtur. Febris intermittentis et remittentis natura est ~~fere~~ eadem, quæque diversæ perhibentur, ex quidem, aliud nil sunt, quam ejusdem mali varietates, quæ causis fortuitis, a cursu generali detorquentur: Signa enim mali primaria omnibus his typis communia sunt, omnes in se, invicem mutantur, et singulæ suumquæque typum denuo recuperant; eisdem remediis sanantur, et tandem denique causam occasionalem agnoscunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

IN prædisponentis, seu illas quæ mortales in morbum proclives reddunt, et has quæ proclivibus, eundem concitant a medicis dividi solent, de illis primô, de his deinceps agemus.

Causæ prædisponentes, seu res quæ proclivitatem in febres dant, omnia quotquot corpus infir-
mant

mant esse videntur ; debilitas, saltem febres prægressa hanc opinionem in primis, verisimilem videtur reddere. Causis prædisponentibus, calor, et jure quidem annumeratur ; eundem autem febri intermittenti concitandæ in idoneum esse experientia constat ; nec frigus etiam proclivitatem in febrem intermittentem dare, concedi potest : eodem enim in Australibus Americæ civitatibus, Carolina nimirum et Georgia, hanc febrem reprimi et penitus fisti vulgo etiam bene notum est.

Quamvis hoc, opinioni illorum, qui frigus præcipuis febris intermittentis causis accensent, prorus aduersatur ; rem tamen ita se habere pro certo constat : frigore enim hyemali in locis etiam, maxime paludosis penitus fistuntur ; eademque in regionibus ad Septentriones vergentibus, vix aut ne vix quidem reperiundæ sunt.

Porro frigus febricitantibus variis formis ; aëris nimirum frigidi, frigidæve corporis affusæ, præstantissimo

stantissimo remedio est, ut experimentis hoc consilio captis nuper inventum est. Frigus igitur per se, mortales nec febri intermittenti, neque typho opportunos reddere videtur.

Dixa parum nutriens, et insalubris, proclivitatem ad morbos insigniter facit: in nullo autem majori quam in febre intermitte, vi pollet. Insigne hujus rei argumento est plebecula, quæ præ cibi, cuius satis ad sc, miseramque familiam, alienos labore parare nequeunt, inopia, morbo opportunissima existit.

Professor GREGORY, ex triginta juvenibus, quibuscum, Lugduni Batavorum, medicinæ studio operam dabat, quendam, qui nunquam adduci potuit, ut vinum, hujusve spiritum, gustaret, febre intermitte, summa cæterorum, qui eum a tanta in potu temperatia dehortari conabantur, oblectatione correptum fuisse narrat.

Affectuum animi deprimentium, metum ad proclivitatem in febrem intermittentem dandam, efficacissimum esse plerumque existere perhibetur.

“ Metus et tristitia,” inquit **LANCISIUS**, “ ubi “ de febre epidemica agitur, pejor est.”—**LIND**,
 “ Hunc animi motum plurimum posse contendit ;
 “ eundemque per se, morbum, actione paludum
 “ anhelitus etiam non prægressâ, febrem intermit-
 “ tentem concitare opinatur. Plures autem sunt
 “ res, quæ quominus illi assentiamur, vetant. Ho-
 “ minem intermittenti pertinaci affectum ; atque
 “ natandi, ignarum, profundo immergi ponamus.
 “ Quid responderi potest, si hic æger ex media
 “ morte reservatus, ac perterritus, febris accessum
 “ nunquam postea passus est ? Hoc nimirum,
 “ quòd, metus, remedio, non causæ fuit. Ex-
 “ emplum, quod nullam non medendi rationem,
 “ ante hujusmodi casum, delusit, vidisse mihi con-
 “ tigit.”

Venus nimia, defatigatio, vigiliae, magnæ san-
 guinis

guinis aliorumve humorum, exinanitiones, inedia et omnia quæ corpus infirnant, causis prædisponentibus annumeranda sunt: de his sigillatim agere minime necessarium duco; eadem omnia magnæ causæ excitantis, paludum nimirum anhelitus, aetionis favere observasse sufficiat.

Nulla fere pathologiæ pars atriore quam miræ hujus exhalationis natura, et operandi modus, nocte premitur hincque febris intermittentis theoria manca et imperfecta sit necesse est.

LANCISIUS animum ad hunc vaporem advertisse primus esse videtur. Magna eidem vis ab aliis auctoribus tributa est. SYLVIUS DE LE BOE, et SYDENHAMUS, eundem pro causa febris excitante habuerunt. Longa annorum series locorum humilium et palustrium incolas, non solum in calidis, sed etiam in Anglia, aliisque terræ plagis, ubi temperies mitior est, febri intermitteri, præ cæteris partere, plus fatis docuit.

Hujusmodi locorum anhelitum, mali causam existere, minime dubitari potest; complures enim migrando tantum extra anhelitus iustum, nulla medicina adhibita quotidie sanantur.

Recondita exhalationis hujuscē subtilissimæ vis, quæ oculorum aciem fugit, nondum investigata est, nec unquam forsan investigabitur.

Plures de eadem conjecturas fecerunt; chymici nonnulli vires ejus nocivas ex aëre hydro carbonico, quem habet pendere autumant: huic autem opinioni, aliarum instar, plura quæ dilui nequeunt, objici possunt. Experimentis enim ingeniosi BEDDOES, febrem intermittentem, nulla aëris hydro carbonici et atmospherici mistura, concitari posse constat. Hæc aërum mistura vertiginem et naufragium cito excitavit, et diutius inspirata mortem procul dubio brevi intulisset.

Hæc exhalatio pestifera, frugibus, et animalibus,

in

in locis uodosis putrescentibus, et in principia sua resolutis, exoritur; his autem nonnihil subest quod humani ingenii captum æternum forsan effugiet.

DIAGNOSIS.

FEBRIS intermittens ab aliis febribus, initio difficile secernitur. Difficultas animum sequentibus intendendo haud parum minuitur. Si paroxysmi definitis temporibus apparent; et apyrexiae, saltem remissionis manifestæ, intervalla observentur; si morbus locis humilioribus, uodosis, aut palustribus, illa præsertim anni tempestate, qua grassari solent intermittentes, exoritur, de mali natura haud diu ancipitis hærere possumus. Cognita denique morbi, qui illis anni tempestatibus et locis grassantur, natura, certius adhuc, de hac re judicabimus. Illustris HOME *, ubi de intermittentibus ab aliis febribus dignoscendis agit, hæc verba habet:—

“ Diag-

* Vide HOME's Principia

“ Diagnosis in primi paroxysmi initio haud parum
 “ difficilis est a febre continua. Tremor validus
 “ et frigus magum, sine ullo interposito calore,
 “ tres vel quatuor horas durans, priorem ; tremo-
 “ res parvi, frigus calorque vicissim posteriorem
 “ potius indicant. Notitia epidemicæ regnantis,
 “ lateritium urinæ sedimentum, sed præcipue, de-
 “ cursus morbi periodicus diagnosin confirmat.
 “ Species diversæ, duobus paroxysmis elapsis, certè
 “ solummodo cognoscantur.”

PROGNOSIS.

FEBRIS intermittens raro in regionibus frigidis
 fatalis est, nisi viscerum abdominalium scirrum,
 hincque hydropem, induxit : in calidis autem ob
 magnam in putredinem proclivitatem, summam de-
 bilitatem, delirium, stuporem, sudores lentos ac ge-
 lidos, aliaque signa, graviora, quibus comitatur ;
 exitium persæpe adfert. Porro in frigidis terræ
plagis,

plagis, minus vere, quam autumno periculi habent. Si febris accessus solitō citius sit malum indicat; contrā si idem solitō tardius redeat; bonum indicium perhibetur; quoties compluria signa simul urgent, aut delirium, convulsio, tremor, magna arteriarum micantium frequentia, aut devorandi difficultas, supervenerint, æger in lubrico versatur. Putredinis itidem indicia, maculæ, petechiæ, partium exulceratarum in gangrænam proclivitas, excretionum, totiusque corporis fætor, summum periculum portendunt. Porro si æger, intermissionis aut remissionis tempore, cibum non appetit; magna simul debilitate et vertigine afficitur; aut maculæ urticarum puncturas referentes super cutem crumpunt, malus exitus; præsertim si urina pellicula cinerea obducatur; ægerve gravem hypochondriorum dolorem, tumoremque queritur, haud parum timendum est.

Anasarca, aliaque hydropis signa, febri intermitenti interdum superveniunt; hæc autem plerumque, illa sanata, decedere solent.

RATIO MEDENDI.

SATIS jam, ut opinor, de morbi historia, causis, discrimine, et exitu, diximus ; longiusque ultra necessarios hujusmodi disputationes limites excurrerem, si de singulis remediis haec tenus ab aucto-ribus, in curatione usurpati, fusius differerem. Aucto-ribus, qui de Materia Medica tractarunt, perlu-stratis, res haud minùs triginta ejusdem fere natu-ræ, febris intermittentis curatione commendatas invenio. Nullus quidem dubito, quin singula interdum profuerint. Qui fusius vero earundem hi-storiā et naturam cognoscere voluerint, hos ad CULLENUM, aliosque claros viros, qui de Materia Medica scripserunt, relegandos censeo.

Febris intermittentis, curatio duplex est : prima remedia, urgente paroxysmo, idonea, complectitur,
altera

altera intermissionibus accommodata, quibus morbo occurrendo, radicitusque sanando, maximè confiditur, comprehendit.

Quando medicus accersitur, statim ad vomitoria confugit: nullum quidem remedium, morbo inchoato, aut aliquatenus etiam proiecto, praesentius inventum est. Optimi quique auctores jam inde ab HIPPOCRATE ad hunc diem, usque, vomitionem, ob insigne quâ febrem intermittentem debellandi vim, pollet, summis laudibus extulerunt; duobus summi momenti finibus respondet. Ventriculum et intestina, bile, atque crudo indigesti cibi oncre liberat; hincque cinchonæ usum longe efficaciorem reddit.

Vomitoria frequentius jam usurpata, sunt Ipecacuanhæ radix, pulveris, aut vini, formâ, data, et Antimonium tartarifatum: hoc autem plerumque, et jure quidem, me judice, antefertur; quamvis

C

enim

enim in quibusdam intermittentum exemplis, aliquanto periculosius existat, corpus tamen subito concutiendi vim, quod præcipuè molimur, longe potentiorem habet. Celeberrimus JACKSON, hoc medicamentum, propter violentiam, quâ quosdam peculiari corporis temperatura præditos, afficit, minimè tutum esse opinatur; ejus autem usum cinchonæ viribus favere concedit.

Plura quidem morbi emeticorum usu repressi exempla habemus; hoc autem minime perpetuum est; paroxysmus enim vomitione parum obstante, fæpe redit.

Chirurgus ingeniosus, Dominus KELLIE * remedium in febris intermittentis curatione hactenus ignotum, vomitioni quidem ipsi, virtute vix secundum, non ita pridem adhibuit: si instrumentum *Tournequet* dictum, quovis stadii frigidi tempore, (inquit ille) admovetur, caloris stadium brevi superveniet;

* Vide ANNALS OF MEDICINE.

perveniet: porro, si idem brevi ante expectatum febris accessum usurpetur; frigoris stadium non modo arcetur, sed caloris etiam mitius, atque brevius fit. Hoc autem auxilium, aliorum præstans-
tissimorum instar, sua secum adfert incommoda:
diutius enim adhibitum insignem ægro molestiam
affert; nec raro, ut inventor ipse fatetur, expec-
tationem fallit. Idem Professor DUNCAN in hac
regione, sed ni fallor, exitu parum prospero, ex-
pertus est. At nihilo tamen minus aestimabilis
medicinæ accessio habeatur oportet.

In omnibus fere exemplis, quibus hoc remedi-
um usurpatum est, cinchonam intermissionis tem-
pore datam fuisse observandum est.

Catharticorum usui in hoc morbo multa, jure
quidem, objiciuntur: at nonnulli tamen auctores
cundem vomitioni utilitate non cedere opinati
sunt: his autem assentiri nequeo; alvi enim pur-
gatio, hic obesse potius, mihi videtur; hoc mag-

no SYDENHAMO * adeo persuasum fuit, ut alvi purgationem non nisi post mensem, a paroxysmis penitus debellatis elapsum, nec tunc etiam, nisi opio post hanc dato, tutò, adhiberi posse planè asserat ; hancque ibidem sententiam notatu dignam adjicit :—“ Vitandæ itaque ante omnia, evacuationes qualescunque, cum vel blandissima cathartis ; quinimo enema ē lacte saccharato in morbi discriminem certissime, forte in morbum ipsum denūo ægrum conjicet.”

Opium in febris intortentis curatione multum et persæpe usurpatum est. Si autem abnormis sanguinis distributio caput versus fiat, aliaque diatheseos phlogisticæ indicia, simul urgeant, haud tutò, dum hæc sanguinis detractione, aliisque remediis eodem pertinentibus, tollantur, dari potest.

Nullum morbi tempus, quo opium administrari debet,

* SYDENHAMI OPERA, p. 306, et sequente.

debet, definitum esse videtur, LIND autem, calore tentationis æstuante, ubi sudorem movere, et somnum invitare sæpius solet, felicius exhiberi opinatur. Sic administrato, cuncta signa, inquit ille, horæ quadrante levata observamus.

Contra, nonnulli hoc remedium periculo non carere autumant; et BURSERIUS * idem exitium sæpe asserre putat. Professor GREGORY copiam cinchonæ opio dato, solitâ dimidio minorem, curationi sufficere expertus asserit.

Astringentia et tonica varia ex plantis et fossilibus parata, febris intermittentis sanatione commendantur. Astringentium fossilium præcipua sunt zincum vitriolatum, zincum ustum, cuprum vitriolatum, alumenum, et etiam arsenicum album.

Periculum autem, quod medicamentis tam acribus præcipue si ab ignaris darentur, exoriri potuit,

* INSTITUT. MED. Vol. I. p. 194.

tuit, a frequentiore eorundem usu, eoque magis quod aliorum innocuorum, nec minus efficacium, copia suppetit, nos deterret. Ante igitur quam medicamina tam acria usurpentur, res magis innocuas ex frugibus paratâs experiri potius erit. Hanc autem princeps est cinchonæ officinalis cortex, cuius duæ a scriptoribus species, colorata nimirum, quæ corticem rubram, flavam, et cinereum comprehendit; et illa quæ colore albido tingitur: alia insuper existit species, quæ ab inventore, Doctore WRIGHT, Cinchona Jamaicensis appellatur.

Cortex flava, ut multis experimentis constat, cæteris longe efficacior est: eandem multum usurpare solet Professor RUTHERFORD, et expertus omnibus aliis anteponit.

Cinchonæ officinalis ad febres intermittentes sanandas, in quibus multum proficere, et insigniter valere, inventa est, primo in medicinam inducta fuit.

Quod tempus autem, quo efficacior detur aliasque morbi res attinet, medici etiamnum haud parum dissident: alii enim exinanitionem prægressam opus esse opinantur: alii verò hanc nisi quibus ventriculus bile, aliave colluvie gravatur, tanquam inutilem damnant. D. SKRETE, eō quod quædam morbi exempla, ubi nulla omnino evacuantia usurpata fuerunt, feliciter sanata vidiit candem minime necessariam judicat: quantum verò ex hoc medicandi usu, si invalesceret, periculum proveniret, ignorare certè non potuit. Perpauci enim invenientur febricitantes, quibus cinchona, præsertim ubi ventriculus felle, aut cibo crudo oneratur, nauseam non movet. Cum tot igitur ægrotantium, quibus indicia hæc molesta parit, quotidiana occasio est; vomitio præmittenda videatur; præsertim cum quibus cinchona nauseam fecerit, his minime persuaderi potest, ut eandem refusant: quo fit, ut remedii præstantissimi ope destituamur.

Promptissima et efficacissima cinchonæ corticem præscribendi formula est pulvis; infusum itidem corticis frigidum et decoctum, insigni vi pollent.

Pulveris, quoties hæc formula antefertur, scrupuli duo, vel drachma, singulis intermissionis horis, vel sæpius, si ventriculus fert, dari debent.

Hic cinchonam administrandi modus adeo tutus est, ut eundem ubique fere invalescere credam.

Auctor *ingeniosus* cinchonam, urgente paroxysmo, dari posse submonuit: nausea autem et vomitus, quæ ut supra diximus, stadium frigidum per sæpe comitantur, haud parum inde augeantur necesse est: quamvisque cinchona hoc temptationis tempore data, interdum votis respondit, usus tamen hicce, ob rationes jam allatas, nunquam invalescere potest.

Cum

Cum cinchonæ usus, signa quædam molesta subinde concitat ; alia medicamenta illis occurrentis idonea conjungantur oportet. Si vomitum moveat ; aliquandiu omittatur ; et vice ejus citris potassæ effervescens, intermissionis tempore commode dari potest ; vel quindecim chamœmeli florum pulveris grana, et myrrhæ tantundem, addita, votis non raro respondent.

Si alvus cinchona cietur ; opii pauxillum eidem adjungatur, vel per se, idoneis intervallis, detur, si verô comprimitur, paucula rei, aut jalapæ radicis, grana singulis dosibus addantur.

Si malum his remediis non cedat, tum demum ad oxydum arsenici album ; quod a nonnullis, et præsertim Doctore FOWLER, de meliore nota commendatur.

Denique caufarum remotarum, et præcipue excitantis evitatio, idonea corporis sub jove sicco ac frigido exercitatio, cibi nutrientes et soluti faciles, et vino generoso inter prandendum, calefcere haud parum juvabunt.

